



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Qvæstio V. De modo Vnionis, quod partes humanæ naturæ. In quatuor  
Articulos diuisa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)



Quæst. 5. De modo unionis quoad partes hum. nat. Art. 1. 2. Dub. 1. 49

singulis indiuiduis postulat singula supposita. Tertiò, Quia Christus, non esset primogenitus, nec primatum tenens inter homines; nam omnes essent paris dignitatis. Quarto, Quia tolleretur mediatio Christi, redemptio, satisfactio, & reliqua eius beneficia.

ARTICVLVS VI.

An conueniens fuerit tot Filius Dei assumere et naturam humanam ex stirpe Adam?

20  
Affirma-  
tur.

R Espondetur; Id omnino fuisse conueniens Probatum Primò, Ex generatione Christi,

qua producitur vsque ad Adam. Luc. 3. Probatum Secundo, ex D. Augusti lib. 13. de Trin. c. 18.

Sunt autem tres coniectura huius conuenientia. Prima, Quia iustitia postulat, vt ille satisfaciatur, qui peccauit: atqui peccauit Adam, & in Adamo tota humana natura: ergo de illa natura ex Adamo deriuata, debebat ille animi, in quo, & per quem, tota natura satisfaceret. Secunda, Quia hoc pertinet ad maiorem hominis dignitatem: Vt nimirum ille potius vincat, qui victus fuerat, quam vt alius vincat pro ipso. Ita D. Leo serm. 2. de natiuit. Tertia, Quia magis ostenditur Dei potentia, dum de natura infirma & corrupta assumpsit id quod ad tantam virtutem & gloriam est prouectum. Possunt & alia multa ex Patribus colligi; sed hæc sunt præcipua.

Tres con-  
uenientia.

QVÆSTIO QVINTA.

De modo Vnionis quoad partes Humanæ Naturæ.

In Quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Verum Filius Dei debuerit assumere verum Corpus?

Affirma-  
tur.  
Qui hæ-  
resici id  
negant.

R Espondetur; Filius Dei assumpsit verum corpus, non imaginarium. Est fide tenendum contra antiquos hæreticos, qui dicebant Christum habuisse corpus non verum, sed phantasma corporis. Ita docuit Saturninus, Marus, Cerdon, & Marcion, teste Tertulliano lib. de præscriptione aduersus hæreticos, & libro de carne Christi. Ratio illorū erat, quia putabant indignum Deo, vt verum corpus humanum assumeret. Item Manichæus teste Augustino lib. contra epistolam fundamenti cap. 9. & hæresi 46. quia existimabat omnia vera corpora esse à malo principio. Idem secuti sunt Priscillianista, vt refert D. Leo epist. 93.

Tres ratio-  
nes.

Sed probatur hæc veritas tribus rationibus. Prima, Quia Christus fuit verus homo: atqui veritas humanæ naturæ requirit verum corpus humanum. Secunda, Quia sequeretur eius passio, & mortem, & resurrectionem, & reliqua, quæ circa ipsum gesta sunt, solum imaginariè & delusoriè contigisse. Tertia, Quia talis fictio, quæ tota est magica, non decet summam veritatem. Adde, hanc veritatem definitam esse in Concilio Chalcedonensi, & in Cōstantinopolitano 2. & 3. & in magno Lateranensi Cap. Firmiter & alibi. Vide Tertullianum lib. de carne Christi contra Marcionem.

Virginis, tamquam per canalem à quo nihil traxerit, transisse. Quem errorem secutus est Apelles, vt refert Tertull. supra lib. de carne Christi, & de præscriptione aduersus hæreticos. Item est contra quosdam Anabaptistas, qui hanc hæresim instaurarunt, vt refert Cochleus in refutatione Anabaptistarum Monasterienium.

Hæresici  
id negant.

Probatum ipsdem argumentis, quibus superior Articulus.

Obijciunt Apostolum prioris ad Corinth. 15. v. 47. vbi Christus comparatus Adamo, dicitur Homo celestis, & esse de celo; Adam autem, terrenus, & de terrâ: ergo Christus habebat corpus cœleste.

3

Respondeo, Hunc locum optime exponi à D. Augusti lib. 13. de Ciuit. c. 23. Sensus igitur est; primus homo, cum formatus sit de terra, fuit terrenus; scilicet quoad conditionem corporis, quod subiectum fuit necessitatibus huius vitæ, & per se passibile, & corruptibile. Secundus autem homo, quia de celo venit, scilicet ratione personæ, etiam cœlestis esse debuit; nempe quoad conditionem corporis cœlestem, & immortalem: & quamuis ab initio non statim actu corpus cœleste fuerit, hoc dispensatoriè factum est, vt pro nobis posset pati, & mori: quo peractio, statim Christus vi sua cœlestè conditionem suo corpori contulit: vnde semper cœleste fuit, vel actu, vel intrinsecâ potestate; eò quod persona de cœlis esset. Igitur sicut porrauimus imaginem terreni, scilicet tum vitæ, tum corporis conditione; Ita portemus imaginem cœlestis; id est, deus operam vt Christo similes efficiamur cœlesti corporis conditione.

Explicatur  
locus 1.  
Corinth.  
15. v. 47.

DVBIVM I.

Verum Sanguis fuerit hypostaticè assumptus?

V Bi notandum Primò, Dupliciter aliquid assumi ad hypostasim. Primò, Immediate; Sicut anima & caro. Secundo, Mediatè; Sicut accidentia, mediante naturâ. Quidquid enim est naturæ coherens, fuit aliquo modo à Verbo assumptum, & sic dubitandum non est quin sanguinem assumpserit: nam corpus eius vero sanguine suffusum fuit.

2  
Affirma-  
tur.

R Espondetur affirmatiuè. Est fide tenendum contra Valentinum, qui dicebat Christum assumpsisse corpus ex naturâ cœlesti; & per vterum

E e Notandum



Notandum Secundò, Certum esse Verbum assumplisse, omnes eas humani corporis partes, quæ animâ rationali informantur; & consequenter omnes eas, quæ sunt necessariae vt corpus humanum sit integrum.

Ratio est, Primò, Quia Verbum factum est perfectus & integer homo: ad integritatē autem hominis pertinet vt minimum omnes illæ partes, quæ animâ informantur: ergo has omnes assumpsit. Secundò, Quia anima, quacumque in parte sit, subsistit subsistentiâ Verbi: ergo etiam quævis pars corporis, quam ipsa viuificat, eadem subsistit. Nulla enim est ratio talem partē negligendi. Tertiò, Quia in alijs hominibus omnes illæ partes quæ animâ informantur, subsistunt subsistentiâ totius hominis: Atqui in Christo huius vicem subijt Verbum: ergo &c.

His positis, sunt tres sententiæ. Prima, Nec sanguinem, nec alios humores esse vnitos hypostaticè Verbo; sed habere propriam subsistentiam, sicut aqua in vase. Dicit tamen assumptos mediâtè eò quòd naturaliter coherent corpori assumpto. Ita sentit Durandus in 4. dist. 1. q. 1. & Richardus in 3. dist. 2. art. 2. qu. 1. & 2. & Gabriel in Canonem lectione 53.

Secunda est, Duplicem esse sanguinem, naturalem, & alimentalem: naturalem seu vitalem esse assumptum, eò quòd pertineat ad integritatē humani corporis: alimentalem verò minime; ob rationem contrariam. Ita docet Siluester in libro quem inscripsit *Rosa aurea* tract. 3. q. 31. & in eandem inclinât Caietanus infra quæst. 54. art. 2. quamuis hic nobiscum videatur sentire.

Tertia sententia est communis. Pro qua dicendum sanguinē absolute, & sine distinctione, fuisse immediatè à Verbo assumptum, & illi hypostaticè vnitum. Quæ sententia ita habetur certa hoc tempore, vt contraria condemnetur erroris. Insinuat eam D. Thomas hic; & Quodl. 5. art. 5. eam expressè tenet, eiusque omnes sectatores, Capreolus, Caietanus, Sotus, Victoria, Medina & alij. Quæ de re quidam recentiores tractatus scripserunt.

Probatur Primò, Ex Scripturis, quæ docent sanguinem Christi, esse pretium nostræ redemptionis, & quidem magnum. 1. Petri 1. v. 18. *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis; sed pretioso sanguine, quasi Agni immaculati, Christi.* 1. ad Corinth. 6. v. 20. *Empti estis pretio magno.* Similia habemus Matth. 26. v. 28. Marc. 14. v. 24. Lucæ 22. v. 20. Secundò, Christus per sanguinē dicitur propitiator, pacificator, redemptor. Ad Rom. 3. v. 24. ad Ephes. 1. v. 7. & c. 2. v. 13. ad Colos. 1. v. 20. Tertiò, In Scripturis dicitur quòd sanguis Christi lauet & emundet cōscientias nostras à peccatis: ad Hebr. 9. v. 14. c. 10. v. 20. & v. 29. c. 12. v. 24. & c. 13. v. 12. & v. 20. & 1. Ioan. 1. v. 7. Quartò, Dicitur sanguis noui & æterni Testamenti, quia per eum firmantur diuinæ promissiones pertinentes ad remissionem peccatorum, iustificationem, & vitam æternam: atqui hæc efficacia non potest conuenire sanguini, nisi ratione unionis cum Verbo.

Dices; Vt hæc dignitates & efficientiæ tribuantur sanguini, sufficit vt is qui eum effudit, sit infinitæ dignitatis: nam illa effusio, quatenus erat voluntaria actio, vel passio personæ infinitæ, erat infinitæ efficacitatis, & æstimationis. Sed hoc

non satisfacit, quia sic sanguis non esset aliter pretium nostræ redemptionis, quàm lachrymæ & sudor Domini nostri; nam horum effusio etiam est infiniti pretij ratione personæ: atqui Scriptura tribuit aliquid maius & specialius sanguini, vocans illum *Lauacrum peccatorum, Pretium redemptionis* &c. quæ sanè propriè intelligi possunt, eritque excellentior modus redemptionis, si ipsum pretium secundum se, sit infinitæ dignitatis.

Probatur Secundò: Ratione fundata in Scripturis. Primò, Quia in sacrificijs legis veteris oblatio sanguinis erat præcipua pars sacrificij: cuius signum est, quod in omni genere sacrificiorum, Deus volebat sibi totum sanguinem offerri; vt patet Leuit. 17. *vetans sub interminatione mortis esum sanguinis; cum tamen in oblatione hostiæ pacificæ, & eius quæ fiebat pro peccato, permitteret bonam partem carniū Sacerdoti, vel offerenti.* Atqui Christus in passione obtulit non solum corpus, sed etiam sanguinem: ergo sanguis non minus erat infiniti pretij, quàm corpus; ac proinde non minus hypostaticè vnitus Verbo. Patet prior Consequencia, quia Christi sacrificium erat infinitæ dignitatis ratione rei oblatæ; res autem oblata erat corpus & sanguis: & in oblatione sacrificij, oblatio sanguinis non minoris æstimator, quàm oblatio carnis: ergo non erat minoris dignitatis. Confirmatur, Quia Christus Matth. 26. & Lucæ 22. *sicut de corpore dicit; Quod pro vobis tradetur, ita de sanguine: qui pro vobis effunderetur.* Secundò, Ioann. 6. Dominus, sicut carnem vocat verum cibum animæ, ita & sanguinem verum potum; atqui caro non viuificat, nisi ratione diuinitatis coniuncta, vt satis insinuat illa verba vers. 63. *Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quidquam, id est, tato secundum se, non prodest quidquam ad æternam vitam, quamuis manducetur; sed prodest propter spiritum, id est, propter diuinitatem illi vnitam; ergo nec sanguis Christi sumptus quidquam proderit, si diuinitas ei coniuncta non sit.*

Probatur Tertiò: Auctoritate Ecclesiæ. Concilium Alexandrinum coactum à Cyrillo ex Episcopis Egypti ante Concilium Ephesinum, in epistola Synodica expressè dicit: *Verbum homo factum est in assumptione carnis & sanguinis.* Quod est consentaneum ei quod habet Apostolus ad Hebr. 2. vers. 14. *Quia pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit isdem.* Clemens VI. in Extrauag. *Vnigenitus. tit. de penitentia & remissione,* dicit guttam sanguinis modicam fuisse sufficientem, ad totius humani generis redemptionem propter unionem ad Verbum. Siluester in *Rosa aurea* tract. 3. quæst. 31. refert Clementem VI. hanc nostram assertionem expressis verbis definiuisse. Refert etiam eundem Pontificem coëgisse quemdam Concionatorem, qui apud Barcinonam prædicauerat sanguinem Christi in triduo mortis non fuisse hypostaticè vnitum, vt suam sententiam reuocaret tamquam hæreticam. Et Pium II. confirmasse eandem veritatem, cum rursus de eâ questio esset exorta. Quæ si vera sunt, mirum est Abulensem, qui contrarium tenuit Paradoxo 2. cap. 39. & 40. hæc ignorasse, cum tamen post Clementem VI. in Hispania vixerit. Similiter ignorasse Gabrielem, qui vixit tempore Pij II.

Probatur

Tres sententiæ.  
1. Negans, Durandi.

2. Distinguens, Siluestri.

3. Verior affirmans.

Ex Scripturis ubi sanguis ostenditur esse infiniti pretij.

7 Responso cur sanguis in actu infiniti pretij.

Refellitur.

8 Sanguis est pars sacrificij.

9 Auctoritate Ecclesiæ.

Pium II.



10  
Ratione.

Sanguis est pars corporis.

Trident.

Aristoteles

11  
Quatuor Obiectio- nes. Prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

12  
Medina putat sanguinem animam informari.

Siluester duplicem facit sanguinem.

13  
Vtrumque est contra Philosophiam.

Probatur Quarto Ratione à priori; Quia sanguis per se necessarius est, ad constitutionem integri corporis humani: ergo debuit immediatè assumi. Antecedens docet D. Thomas infra q. 54. art. 2. & passim Doctores in 4. dist. 44. hinc colligentes etiam in corporibus gloriosis sanguinem futurum. Et confirmatur ex Concil. Trid. sess. 13. cap. 3. vbi sanguinem esse sub specie panis ex vi connexionis, qua partes Christi Domini nō amplius moritur, inter se copulantur. Fauet etiam multis locis Aristoteles, sanguinem inter partes animalis numerans. Et Ratio est, quia sanguis requiritur in corpore humano non solum propter nutritionem, sed etiam alias causas. Primò, Ob firmitatem, & consentientiam corporis humani. Secundò, Ad fouendum calorem naturalem, & spiritus vitales & animales. Tertiò, Ad conseruandum debitum corporis temperamentum. Quartò, Vt sit veluti instrumentum multarū animæ functionum, earum præcipuè quæ pertinent ad appetitū sensuum, scilicet amorem, lætitiā, tristitiam, iram, audaciam &c: ergo per se necessarius est, vt homo sit integer & perfectus.

Contra Obijcitur Primò, Sanguis non informatur animā rationali, sed est quiddam inanimum: ergo non debuit hypostaticè assumi. Patet consequentia, quia Verbum non assumpsit corpus nisi mediante animā, vt docent communiter Theologi ex D. Augustino epistola 3. ad Volusianum: ergo illud in quo non fuit anima, non fuit assumptum. Secundò, Verbum non assumpsit nisi vnā naturam: atqui sanguis habet suam naturam distinctam à naturā carnis; ergo &c. Tertiò, In alijs hominibus subsistentia non terminat nisi eas corporis partes, quæ anima rationali informantur: alia autem habent suam propriam subsistentiam, vt sanguis, dentes, & similes: atqui Verbum succelsit in locum subsistentiæ humanæ: ergo non assumpsit nisi eas partes quæ per animam viuificantur. Quartò, Natura humana est propriè vna: ergo illa dumtaxat sunt de eius integritate, quæ animā informantur, ac proinde hæc tantummodo assumpta fuere.

Ob hæc argumenta, quidam existimant sanguinem verè animā informari, quæ illi det esse vegetabile, sicut ossibus quæ animā informantur etsi non sentiant, quia anima non dat omnibus partibus easdem functiones. Ita videtur hoc loco sentirè Caietanus, & expressè Bartholomæus Medina. Verùm vt omittam hoc esse contra communem Theologorū sententiam in 4. dist. 44. est etiam contra communem sententiam Medicorum & Philosophorum, qui volunt quatuor humores non esse animatos. Alij verò, vt Siluester, distinguunt duplicem sanguinem: alium nutrimentalē, quem natura præparat in hepate, vt ex eo corpus alatur; & hunc non informari animā, nec esse assumptum hypostaticè: alium vitalem, qui gignitur in corde; hunc animā informari, ac proinde hypostaticè esse assumptum. Fauet Caietanus infra quaest. 54. art. 2.

Sed hæc sententia nec Philosophiæ, nec Theologiæ satis est consentanea. Est contra Philosophiam. Primò, Quia sanguis nutrimentalis, & vitalis, non differunt specie; sed solum puritate, & subtilitate. Vnde si alter assumptus est, etiam alter. Secundò, Quia sanguis qui est in cor-

de, quem Siluester vitalem vocat, est etiam nutrimentum; alit enim cor, & ipsos pulmones per venam arterialem, vt docent medici. Item arteriæ eodem aluntur. Tertiò, Quia nullus est sanguis qui tantum habeat alendi munus: nam alijs etiam vsibus seruit.

Nec etiam Theologiæ est satis consentanea; Primò, Quia si sanguis nutrimentalis non est hypostaticè vnitus Verbo: ergo parum sanguinis in passione effusi, fuit Verbo vnitum; nam ante apertionem lateris, parum fuit effusum ex arterijs & corde. Secundò, Sequeretur ex vi verborum consecrationis calicis in cena, parum sanguinis fuisse sub speciebus vini: vel certè si totus sanguis Domini ibi erat, Verbum non fuisse per concomitantiam sub quauis parte illius, quia non fuisset sub sanguine nutrimentali. Atqui vtrumque est absurdum. Primum enim est contra virtutem verborum Christi, qui absolute ait: *Hic est sanguis meus*, scilicet totus. Secundum etiam absurdum est, quia totus sanguis est verè potus viuificans; & inauditum est Verbum fuisse sub quibusdam sanguinis particulis, sub alijs minimè.

Vnde Respondeo ad primum argumentum. Siue sanguis animatus sit, siue non; nihilominus nego illum non esse hypostaticè assumptum. Satis enim est, vt aliquo modo sit pars corporis humani, necessaria ad illius consentientiam; integritatē, conseruationem, & operationem. Ad confirmationem consequentiæ, Respondeo; Corpus dicitur assumptum per animam, non quod Verbum ei tantummodo mediatè vnitur; sed quia assumptum est, vt animæ seruiat: quomodo etiam sanguis assumptus est per animam, id est, propter animam; quia anima sanguine vtitur veluti instrumento. Ad secundum. Respondeo: Sanguis non est institutus vt sit aliqua natura seorsim, sed vt sit pars & instrumentū alterius: vnde caro & sanguis nō sunt propriè duæ naturæ, sed partes vnus integri corporis humani: Sicut carnes, ossa, nerui &c. sunt partes vnus integri corporis humani; quamuis fortassis diuersas formas substantiales habeant: nam illæ formæ imperfectæ sunt & veluti partiales ad constituendum integrum corpus humanum. Ad Tertium, Sicut natura sanguinis pertinet ad integritatem naturæ humanæ, ita etiā subsistentia sanguinis includitur in subsistentiā naturæ humanæ; sic vt tota subsistentia naturam humanam terminans, etiam complectatur subsistentiam sanguinis: Sicut complectitur subsistentiam ossis, carnis, nerui, cerebri, cordis, pulmonis. Ad Quartum, Negatur consequentia; quia vt aliquid sit physicè vnum, satis est vt omnes partes habeant inter se naturalem quandam connexionem, formasque imperfectas, quæ sint dispositiones ad formam perfectam; & constituent instrumenta formæ principalis.

D V B I V M I I.

Vtrum reliqui humores, scilicet Flaua Bilis, Atra Bilis, & Phlegma sint assumpti hypostaticè?

Respondeo; Id valdè esse probabile. Tenent hoc Caietanus, Siluester, Dominicus Soto, Franciscus Victoria, Bartholomæus Medina, Suarez, & passim alij recentiores.

E e ij Probatur

Et contra Theologiam.

14  
Responso ad quatuor Obiectio- nes. Ad Primam.

Ad Secundam.

Ad Tertiam.

Ad Quartam.

15  
Assumitur.



*Pertinent ad integritatem humanam naturam.*

Probatur Primò, Quia pertinent ad integritatem humanam naturam, sicut sanguis: ergo si sanguis est assumptus, etiam reliqui humores. Antecedens patet ex Damasceno lib. 2. de fide c. 12. ubi dicit, Corpora animalium quatuor humoribus consistere. Idem docet Innocentius III. Cap. In quadam. de celebratione Missarum; ubi dicit, consistere quatuor elementis, & habere quatuor humores, esse de ratione & compositione veri corporis humani; quale Verbum assumpsit.

*Sunt necessarij ad debitum corporis temperamentum.*

Probatur Secundò, Quia hi humores sunt necessarij ad consistentiam hominis, ad debitum corporis temperamentum, & ad operationes animales; unde etiam erunt in corporibus resurgentium. Secus est de sudore & similibus, qui in corporibus resurgentium non erunt. Tertiò denique, Hi humores maximè inter se sunt permixti, adeo ut si vnus assumptus sit, alij etiam videantur debere esse assumpti.

*Sunt maximè inter se permixti.*

Nec obstat quòd hi humores videantur esse recrementa ex concoctione chyli & sanguinis; quia etsi respectu nutritionis, magna ex parte sint recrementa & superflua; non tamen respectu totius corporis, & constitutionis naturalis, & debiti temperamenti.

*Quo modo fini recreationis.*

Dico Secundò, Non est improbabile etiam spiritus vitales & animales fuisse hypostaticè assumptos. Ratio est, quia pertinent maximè ad integritatem & functiones humani corporis: sunt enim proximum animæ instrumentum, per quod anima regit corpus, omnesq; motus efficit: Tum etiam, quia in corporibus beatorum erunt prorsus immutabiles, & æterni.

*16 Spiritus animales etiam sunt assumpti.*

DVBIVM III.

*Utrum Dentes, Ungues, Capilli, & Barba fuerint hypostaticè vnita Verbo?*

*17 Dentes & ungues.*

Respondeo, Id esse satis probabile. De Dentibus & Unguibus probatur; quia probabilius est hæc informari ab animâ rationali. Ut sentit D. Thomas in 4. dist. 44. 2. 2. quæstiuncula 2. ad 3. Secundò, Quia non solum pertinent ad ornatum, sed etiam ad quandam corporis humani integritatem; & functionibus humanis deserviunt.

*Capilli.*

De Capillis etiam Probatur Primò, Quia D. Thomas supra vult eos animâ informari; quamuis contrarium existimem esse verius. Secundò, Quia sunt futuri in resurrectione; vt indubitanter supponit Diuus Augustinus in Enchiridio cap. 89. & lib. 22. de Ciuitate cap. 19. Pertinent enim quodammodo ad completum ornamentum humani corporis. Hinc Veteres ornamenta causâ comam alebant; & comæ detonsio symbolum est luctus, pœnitentiæ, renuntiationis mundi, rerum superfluarum; & apud Romanos, seruitutis: Vt patet ex multis Scriptoribus. Vide Adrianum Iunium in Opusculo de Coma, è quibus quædam etiam attingit Baronius lib. 1. Annalium pag. 630. & sequentibus. Denique Christus assumpsit humanam naturam omnino perfectam; hæc autem omnia pertinent ad eius perfectionem. Confirmatur, Quia si aliquid horum non fuisset assumptum, & Christus dimitteret ea quæ non sunt assumpta, esset imperfectus & quodammodo mutilus homo.

Dices, Ungues, Capilli, & similia, faciliè recantur & separantur: ergo non decuit hypostaticè assumi.

18

Respondeo Negando Consequentiam, Nam etiam multæ particulæ carnis & sanguinis fuerunt hypostaticè vnitæ, quæ tamen assiduâ caloris passionis fuerunt postea absumptæ & separatæ. Omnes tamen particulæ quæ nunc sunt in corpore Domini, nunquam fuerunt dimissæ, etiam si per mortem ab anima fuerint separatæ. Quod autem Damascenus lib. 3. de fide cap. 27. ait, Id quod semel assumpsit, nunquam dimisit, intelligendum est, non dimisisse formaliter consideratum; vel ex integro: retinuit enim capillos, barbam, sanguinem &c. saltem ita, vt non omnino fuerint diuersa, sed eadem quodammodo permanserint; quamuis particulæ materiæ defluerint, & aliæ fuerint substitutæ.

*Quod in- tuel assum- ptum nun- quam di- missum ex- plicatur.*

ARTICVLVS III.

*Utrum Filius Dei assumpsit Animam?*

Respondetur affirmatiuè. Notandum est, Fuisse errorem Arii & Apollinaris, in Christo non esse Animam, sed Verbum eius vicem explere. Apollinaris tamen conuictus Scripturæ testimonijs, tandem concessit ipsum habere animam sentientem, sed non rationalem; vt refert Augustinus hæresi 55. Hanc hæresim refutat D. Thomas tribus argumentis; Primò, Quia Scripturæ Christo tribuunt animam, & animæ operationes & affectiones: aiunt enim Christum esse contristatum, admiratum, iratum, esuriisse, sitiuisse, dormiuisse, comedisse, defatigatum, & quiescisse &c. quæ omnia sunt functiones, vel affectiones animæ. Secundò, Quia alioqui incarnatio fuisset inutilis: quod enim non est assumptum, non est curatum: anima tamen maximè egebat curatione; nam in ipsa propriè est peccatum: in carne autem, non nisi ratione animæ, per denominationem quandam extrinsecam & imputatam. Deinde, Anima est longè excellentior corpore: ergo non debuit negligi in assumptione carnis. Item, non potuisset mereri aut satisfacere, nam hæc sunt per animam libero arbitrio præditam. Denique, si assumpsit carnem cum animâ sentiente absque rationali, assumpsisset belluam quandam sub figurâ humanâ. Tertiò, Quia caro, & cetera partes hominis, sortiuntur speciem per animam. Intellige, speciem humanam: alioquin parû firmitatis habebit hæc ratio. Vnde apertius sic diceretur: Scripturæ asserunt Christum esse verum hominem: ergo assumpsit animam rationalem. Adde, hanc hæresim esse mox damnatam in II. Synodo generali, vt refert Theodoretus lib. 5. hist. c. 9. & à Damaso Papa in epist. Synodica, quam refert ibidem Theodoretus cap. 10. Item à Synodo IV. actione 5. & à Synodo V. cap. 4. & à Synodo VI. actione 4. Denique omnes ferè antiqui Patres contra eam scripserunt. Vide Athanasium lib. de salutari aduentu Christi, contra Apollinarem. Epiphanium hæresi 69. & 77. Nazian. epist. 1. & 2. ad Chelidonium, & alios.

*19 Error Arii & Apollinaris.*

*Refutatur tribus rationibus D. Thomæ.*

*Damnatur a Concilio & Patribus.*



ARTICVLVS IV.

Vtrum Filius Dei assumpserit Intellectum?

20  
Affirma-  
tur.

**R**espondetur affirmatiue. Et Probatur ist- dem rationibus quibus Articulus superior. Ostensum enim est in Christo esse animam, qua non potest esse sine potentia intellectiua.

Dices: Potentia intellectiua posset separari à substantia animæ: ergo etiamsi habuisset animam rationis capacem, potuisset nihilominus carere intellectu, cuius vicè impleset intellectus diuinus. Sed contrà: Primò, Quia non potest separari sine maximo miraculo, quod non est ponendum sine euidenti causa. Secundò, Est contra finem Incarnationis, qui est curare peccatum, quod inhæret intellectui & voluntati. Tertio, Est contra perfectione illius animæ; careret enim vsu rationis, & libertate voluntatis; essetq; instar animæ brutalis, quæ neque Deum, neque diuina beneficia potest cognoscere. Quartò, Scripturæ tribuunt Christo Donum sapientie, intellectus, consilij, scientie &c. Iſaie 11. & alibi, Orare, mereri, admirari, esse mitem & humilem corde, quæ omnia pertinent ad intellectû & voluntatem humanam. Quartò, Intellectus si abfuisset, non potuisset suppleri ab intellectu Verbi; quia natura creata nõ potest vti intellectu diuino

Intellectus  
neque po-  
tuit, neque  
debet ab  
anima se-  
parari.

ad intelligendum, cum nullum possit habere influxum in illum intellectum. Addo, Apollinaræ non tam ipsam potentiam intellectiua negasse assumptam, quam substantiam animæ, quâ parte intelligentiæ est capax. Argumenta Apollinaristarû non habent difficultatem. Vide Nazian. epist. 1. ad Chelidoniû, qui ea refert & soluit. Et Ambros. lib. de Dominicæ Incarnationis Sacramento c. 7.

Aduerte tamen Primè, Sicut Dominus assump- pit intellectum, ita etiam omnes alias animæ vi- res optimè constitutas; vt voluntatem, appetitum sensitiuum, sensum interiorem sine quo non potuisset humano more operari, sensuq; omnes ex- teriores, & omnes vires ad vim vegetantem per- tinentes: nam hæc omnia pertinent ad hominis integritatè. Item assumpsit omnia accidentia na- turalia corpori humano. Quos autem assumpserit defectus, dicitur infra quæst. 14. & 15.

21  
Assumpta  
sunt omnes  
vires  
animæ.

Aduerte Secundò, Accidentia non esse imme- diatè assumpta, sicut anima, caro, ossa, sanguis & ceteri humores: sed mediatè dumtaxat. Ratio est, quia accidentia naturâ suâ nõ habent vllam sub- sistentiam, cum naturâ suâ respiciant alienû sup- positum cui inhæreant & innitantur. Vnde non debebant immediatè à Verbo terminari, sed à na- turâ humanâ, cui adhererent. Omnis autè substan- tia, siue sit perfecta siue imperfecta, habet aliquâ substantiam, saltem partialem; quia non respicit alienû suppositum: vnde conueniebat eam à Ver- bo suppleri, vt perfectissima esse hæc assumptio.

Accidentia  
solum me-  
diatè.

QVÆSTIO SEXTA.

De Ordine Assumptionis.

In Sex Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum Filius Dei Carnem assumpserit mediante Animâ?

1

**R**espondetur, Ordine dignitatis & causa- litatis assumpsit carnem mediante animâ. Probatur prior pars, Quia anima inter carnem & Verbum est dignitate media: ergo ordine dignitatis, caro assumpta est median- te anima. Patet Consequentia, Quia Deus infe- riora per media in seipsum reducit; vt homines per Angelos, & corporalia per spiritalia. Altera pars probatur, Quia anima est causa cur caro sit assumpta; nam caro non est assumpta nisi propter animam.

Quid sit  
carnem as-  
sumi me-  
diante  
anima,

Notandum Primò, Hanc conclusionem, Caro est assumpta à Verbo mediante anima; non esse sic in- telligendam, quasi caro non sit etiam immediatè Verbo vnita, ita vt eius propria substantia à Verbo suppleatur (hoc enim est manifestus error: nam sic Verbum non assumpsisset totam naturam humanam, nec esset homo; ) sed quòd ipsa non sit assumpta, vel vnita Verbo propter seipsam, sed propter animam dumtaxat, vt sit eius instrumen- tum, in quo ipsa habeat suum naturalem statû & operationem; non enim caro congruens erat as- sumptioni, nisi ratione ordinis ad animam. Simili

modo dici posset caro & anima assumpta mediatè naturâ humanâ; quia natura humana finis erat huius assumptionis partium. Hoc modo explicata Conclusio est fide tenenda; habetur enim in VI. Synodo act. vltima. Eandem docent Patres: Na- zianz. Epist. priore ad Chelidonium, August. Epist. 3. ad Volusianum, & lib. de Agone Chri- stiano cap. 18. Damascenus lib. 3. de fide cap. 6.

Notandum Secundò, Non similiter dici ani- mam assumptam mediante carne: quia caro non est finis anima, sed compositum; non enim ani- ma existit vt carni bene sit, sed vt compositum existat: caro tamen est propter animam.

2  
Anima  
non est as-  
sumpta  
mediante  
carne.

Notandum Tertio circa responsione ad 1. Est in ordine processionis creaturarum à Deo tam- quam à principio efficiente, vna sit ratio alterius; nam caro est propter animam, & corporalia pro- pter spiritalia, tamen non rectè diceretur caro creari mediante animâ, aut corpora mediante spiritu: per hoc enim significaretur spiritum & animam esse causam efficientem quasi instrumen- tariam creationis, vt volebant Platonici. Di- citur tamen rectè corpus assumi mediante ani- mâ; quia assumptio pertinet ad ordinem redu- ctionis rerum in Deum vt in finem: in quo ordi- ne vna creatura est finis alterius; & ita vna assu- mitur mediante alterâ, tamquam ratione finali. Sed, hoc totum pertinet ad modum loquendi:

Neque et-  
iam creata  
mediante  
carne.

Ecce iij vnde